
3

DISSERTATIONEM JVRIDICAM
INAVGVRALEM
DE

SALVO CONDVCTV

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ WESTPHALIÆQVE ET RELIQV.
IN ACADEMIA IENENSI
INCLYTÆ FACVLTATIS JVRIDICÆ CONSENSV
PRÆSIDE
GVILIELMO HIERONYMO BRVCKNERO
ANTECESSORE IENENSI,
AD DIEM DECEMB. M D CC XII.
PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS CONSEQVENDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBJICIT
JOHANNES DAVID FREISLEBEN
SYNDICVS EISENBERGENSIS.

JENÆ, LITTERIS MVLLERIANIS.



J. N. J.

PRÆFATIO.

MEditanti mihi, exantlatis Examinibus, in quanam e variis juris noſtri materiis ingenii mei vires, utut tenuiſſimas, exercerem, obtulit ſeſe tandem hæcce de SALVO CONDUCTU. Anſam ad iſtam eligendam præbuit, cum ea conditio, in qua per aliquot annos ſtudium Practicum colui, tum Doctorum plurimorum opinio, quod ſcilicet Practicæ Materiæ Theoreticis multis paraſangis ſint nobiliores, adeoque potiſſimum addiſcendæ, quippe theoriam ſine praxi digeſtam ſolidam juris cognitionem præſtare non poſſe, imo maxime periculoſam & mancam eſſe teſtatur *Arius Pinell. in l. 2. C. de reſcind. vendit. part. 2. cap. 4. num. 2.*

num. 2. Practica enim est vera Legum & Canonum enucleatrix, optimaque rerum Magistra, & dicit Damhouderus in compendiosa sua subhastationnum exegesi *cap. 1.* Theoriam sine Practica i. e. scientiam sine experientia parvi admodum esse momenti: Magnum equidem de hac materia, quamvis ea satis ampla & luxoriosa sit, nemo expectabit tractatum, sed ea tantummodo, quæ brevitatis studio conscripta & in Praxi quotidie necessaria habentur: Hinc supplex veneror Deum T. O. M. ut hasce primitias jubeat esse Reipublicæ utiles.

Th. I.

MOnet lex 1. *in pr. ff. de Just. & Jur.* juri operam daturum prius nosse oportere, unde nomen descendat, cum verba rerum sint notæ & propter res inventa *L. Labeo 7. §. 2. ff. de suppellect. Legat. L. ille aut ille 25. §. 1. ff. de legat. 3.* Nos tamen impræsentiarum operam hanc remittimus, præsertim cum certum sit, quod Salvus Conductus minus redoleat latinitatem priscam eamque accuratam. Et quis negat, quod JCti hoc habeant solenne

ac

ac antiquum, res ipsas potius exprimere, quam verborum elegantiam solicite venari, quia semper magis rem ipsam quam verba spectamus, & potior est tractatio rerum.

Th. II.

Hinc & sequentes appellationes indicant ex re illas etiam esse desumtas, & Salvo Conductui correspondere: nimirum vocatur LIBER COMMEATVS *Pruckm. ad §. Soluta potestas, tract. de Regal. membr. 2. cap. 4. effect. 5. num. 1.* LIBER ACCESSVS, sub quo etiam discessus continetur, ASSECVRANTIA *Petrus Premus de Securitatis promiss. in præfat.* FIDES PVBLICA, *Mascard. de probat. concl. 19. num. 8.* SECVRITAS *L. capitalium 28. §. 7. ff. de pœn. Auth. Habita in pr. C. ne filius pro Patre Coler. de Process. Execut. p. 4. c. 1. num. 202.* SALVA GVARDIA *Mynsing. cent. 1. observ. 82. Moller. 2. semestr. 2. num. 2.* quæ ultima appellatio cum Salvo Conductu quoad effectum securitatis convenit, differt tamen hoc modo, quod Salva Gvardia nominetur protectio & securitas, quæ minus potentibus, oppositionemve timentibus, contra potentiores a superiori potestate confertur, vel etiam absolute ad suam & suorum bonorum tu-

telam petentibus amicis, vel alioquin charis, aut etiam hostibus certo loco offertur, germanice Schutz und Schirm; Salvus Conductus vero dicitur illa Securitas, quæ Delinquentibus, & similibus conceditur, & vulgo denominatur sicher Gelcit. *Joh. Georg. Becht. disp. de Securit. & Salv. Conduct.*

Th. III.

Huc & refer cautionem de non offendendo, quæ etiam cum Salvo Conductu convenit, Practicisque maxime & quotidie obvia est, & in fine libellorum adponi solet, hac tamen annotata distinctione, quod cautio de non offendendo exigatur ab Actore contra Reum, Salvus vero Conductus a Judice, & illa contenta sit datis pignoribus, fidejussoribus aut præstita juratoria cautione, *Coler. de process. Exec. p. 4. c. 1. num. 209.* Ille vero nuda Judicis promissione *Hering. de fidejuss. c. 18. n. 49.*

Th. IV.

Convenientiam porro cum Salvo Conductu habent aliquam Diplomata seu literæ, quibus contra Creditores muniri solent Debitores, & Germanice dicuntur Eiserne Briefe *Chil.* König *Process. cap. in addit. num. 3. Hering. de* *fide-*

fidejuss. cap. 5. num. 102. quarum effectus hic est, ne creditores intra certum tempus e. g. annum, biennium, quinquennium &c. debitum exigant; hinc tales literæ nominantur cautiones moratoriæ *L. 2. C. de prec. Imper. offer.*

Th. V.

Sed ut rem ipsam attingamus, mittimus hic alias appellationes, cum propositum nostrum eo tendat, pro ingenii modulo, & conditione temporis, pauca de Salvo Conductu proferre. Nam licet prædicta genera cum hoc habeant quædam communia, habent tamen etiam quædam specialia *Petr. Prem. de securit. promiss. in fin.* Et cum omnis, uti loquitur Cicero lib. 1. offic. in pr. quæ a ratione suscipitur de re aliqua institutio, debeat a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, reprehensionem neutiquam incurremus, si principium a Definitione aut aliquali descriptione Salvi Conductus sumamus.

Th. VI.

Salvus Conductus itaque est legitimum præsidium, quod a superiore præstatur alteri, potissimum inculpato vel suspecto de Delicto, pro aversione periculi carceris aut alterius offensionis,

 quam

quam ille juſte & probabiliter timet a Judice vel Adverſario.

Th. VII.

Neutiquam inſtituti noſtri ratio hic patitur, ut hanc Salvi Conductus deſcriptionem logice per genus, differentiam ſpecificam & alia requiſita pertractemus, ſiquidem nec pagina hæc ſufficeret, omnia ea complecti, nec ſtatuimus eſſe de neceſſitate ea pluribus verbis allegare, quæ omnibus ſunt obvia & cognita; ſufficiat itaque tractationem Salvi Conductus pro nunc ita inſtituere, ut per certas & quidem quatuor Sectiones demonſtremus, quæ circa iſtum ad Praxin & forum notatu digniora reperiuntur.

SECTIO PRIMA.

Quibus Perſonis competat jus, Salvum Conductum concedendi.

Th. IIX.

Cum conceſſio Salvi Conductus, ſeu ſecuritatis concernat jus ſuperioritatis, neutiquam negare poſſumus, quod iſta conceſ-

ſio præ cæteris competat Imperatori, Regibus & Supremis Imperantibus, *Cephal. Conſ. 458. num.37. L. Divi fratres 27. de pœn. Bald. in tit. de pace conſtant. in §. 1. ſuper verbi diſpenſationem num. 5.* quia iſti ſunt Domini territorii, & non dependent ab aliis.

Th. IX.

Nec deneganda eſt conceſſio Salvi Conductus in Imperio noſtro Romano-Germanico Principibus, Comitibus & Nobilibus Immediatis, & quamvis hi omnes Superiorem agnoſcant Imperatorem, attamen ratione Regalium, quibus gaudent, Delinquentibus Salvum Conductum concedere poſſunt, cum JCti communiter ſic doceant, quod Imperii Principes, Comites & Nobiles Immediati, qui jura ſuperiora & territorialia habent, etiamſi alias Imperatorem Superiorem agnoſcant, tantum poſſint in ſuis territoriis quantum ipſe Imperator in Imperio, *Bald. l. more ff. de jurisdictione & l. exemplo C. de probat. Bald. Conſil. 248. incip. quæritur utrum donatio. lib. 1. Paul. Caſtrenſ. Conſ. 22. incip. ſuper primo dubio Conſ. 34. col. fin. lib. 2. Alex. conſ. 2. num. 9. l. 7. Rol. a Vall. Conſ. 26. & Conſ. 86. num. 13. lib. 1. & in lib. quæſt. de lucr. dot. qu. 3. num. 8.*

num. 8. conf. *Sinoltum cognomento Schüzium de statu Rei Rom. vol. 1. Exerc. VI th. 15.* ubi lit. D. tradit declarationem. Et hoc assertum exinde probatur, quod licet in *l. relegati 4. ff. de pœn.* dicatur, *quod nemo possit commeatum remeatumve dare exuli, nisi Imperator ex aliqua causa*, attamen hæcce dispositio respicit tantummodo statum Reip. Romanæ antiquum *Bald. l. relegati num. 4. de pœn.* & contra jus Romanum Principes & Comites Imperii aliquid ordinare possunt *Bald. l. fin. C. quor. appellat. non recipiunt. Paul. Castrens. Cons. 225. incip. super primo dubio. Felin. cap. 1. num. 2. extr. de Rescript. Dec. c. pastoralis num. 2. vers. imo quod plus est extr. de appellat. Cravett. Cons. 135. num. 2. Roland. a Vall. Cons. 29. num. 26. & Cons. 86. n. 16. lib. 1. Roland. a Vall. in lib. quæst. de lucr. dot. quæst. 3. n. 8. Thom. Gramm. Consiliorum civilium Cons. 103. num. 3.*

Th. X.

Gaudent porro hac concessione Salvi Conductus & quilibet Magistratus, qui habent superiorem jurisdictionem vulgi die Ober-Gerichte. Regula enim communis est, quod data jurisdictione, intelligantur & ea concessa, sine

ſine quibus commode illa explicari nequit; non vero absque conceſſione Salvi Conductus hæc jurisdictio explicari commode poteſt, ratio, quia nemo facile absque Securitate ad locum non tutum accedit, ſed ſe potius loci non tuti exceptione tuetur *c. accedens extr. ut lit. non conteſt. cap. ſtatutum verſ. cum vero de Reſcript. in 6.* Eſt porro hæc ſecuritas ſeu Salvus Conductus pars jurisdictonis criminalis, es gehöret zum Ober-Gerichten *Treutler. vol. 1. diſp. 5. th. 6. lit. d. VVeſenb. Conſ. 33. num. 19.* Schönborner *lib. 5. Polit. cap. 25.* Omnibus igitur, quibus hæc ſuperior jurisdictio conceſſa, liberum eſt abſentibus, qui apud eos aut accuſantur, aut ratione publici criminis deferuntur, promittere ſecuritatem & Salvum Conductum dare. *Petr. Prem. de ſecurit. promiſſ. qu. 1. Borcholt. p. 2. conſ. 18. verſ. deinde etiam, & verſ. deinde quoque.*

Th. XI.

Extenditur tandem Salvi Conductus conceſſio etiam ad Judices inferiores, qui ex conſuetudine & per actus continuos & eos quietos tale jus acquiſiverunt. *Joh. de Platea in l. fin. in 2. col. poſt princ. C. de Erogat. militar. annon.*

qnia consuetudines vim habent privilegii & constituti alias ab Imperatore concessi *Jason. in l. quo minus num. 40. ff. de flumin.* Quod enim Princeps vi præeminentiæ & superioritatis Civitati, Magistratui aut aliis ex signo gratiæ concedit, hoc per consvetudinem etiam impetrari potest *arg. l. hoc jure §. ductus aquæ ff. de aqu. quot. & æstiv. & l. usum aquæ in pr. C. de aquæ ductu* juncta *l. viros C. de divers. offic. & Bald. in Cons. 64.* dicit, quod per immemoriale tempus Regalia & alia jura præscribi possint.

SECTIO SECVNDA.

Quibus Personis detur Salvus Conductus, quomodo detur, & in quibus causis?

Th. XII.

Consideratis igitur Personis, quæ Salvum Conductum dare possunt, pergimus nunc ad eas Personas, quibus Salvus Conductus datur; est alias Regula, quod qui habet ordinarium remedium, opus non habeat extraordinario, hinc omnibus istis concedi debet Salvus Conductus,

qui

qui alias & per aliud remedium ordinarium defensionem consequi & per eam veritatem & innocentiam demonstrare non possunt, siquidem per Procuratorem comparere possunt *Felinus in c. accedens num. 5. ut lit. non contest. Menoch. de arbitr. Jud. qq. cas. 81. num. 8. & 80. Prosp. Farin. qu. Crim. 29. num. 87. Coler. de Process. Exec. p. 4. c. 1. n. 237. & seqq.* certe tales non opus habent Salvo Conductu, ratio est in promptu, quia nulla adest causa, cur judex ipsi debeat præstare securitatem, qui alias per Personam Procuratoris causam tractare potest *l. sed et si per Prætorem 26. §. 1. ff. ex qb. caus. Major. c. cum olim 34. extr. de Test.* Cessante enim causa cessat Effectus. Conceditur autem Salvus Conductus omnibus istis, qui de jure non sunt tuti, & quidem suspectis (1) Homicidis, (2) Adulteris, (3) Raptoribus Virginum *Petr. Prem. de secur. promiss. q. 2. & qu. 7.* qui periculum timent injuriæ, idem *qu. 2. Treutler. Vol. 1. disp. 5. th. 6. lit. d. Gviliel. de Cuneo de Securit. num. 4. & seq. Coler. de process. exec. p. 4. c. 1. n. 208.* aliisque pluribus.

Th. XIII.

Datur vero Salvus Conductus non ipsis Principalibus tantum, sed & qui sunt in eorum

comitatu, puta qui cum ipsis sunt in societate, ut si Maritus impetraverit Salvum Conductum pro se una cum viginti equis & totidem personis & rebus suis, ipseque solum mittat uxorem cum sociis ac bonis, Maritus vero maneat domi, neutiquam offendi debet uxor, quippe quæ erit tuta sub isto Salvo Conductu seu securitate Marito promissa *Prosp. Farin. qu. Crim. 29. num. 50. & 52. Schrad. de Feud. p. 9. c. 3. num. 5. Petr. Prem. de securit. prom. qu. 6. Menoch. de arbitr. jud. qq. cas. 336. n. 7.* Vxor enim & Maritus unum sunt corpus c. admonere 8. caus. 33. qu. 2. Et Vxor gaudet alias privilegio Mariti l. 1. C. de Vxor. Milit. arg. l. ne ad diversa 4. C. de Silentiariis.

Th. XIV.

Qui Salvus Conductus extenditur etiam ad impetrantis familiam. *Menoch. de arbitr. jud. qq. cas. 336. n. 8. & seq. Prosp. Farin. qu. Crimin. 29. num. 51. Schneid. ad §. item qui Reipubl. caus. 2. J. de excusat. tut. n. 4. arg. l. 4. C. de dignit. l. fin. C. de Profess. & Med.* Habitatio alicui relicta, etiam intelligitur relicta pro ejus familia §. *item is, qui ædium 2. Inst. de usu & habitat. l. 2. §. 1. & l. seq. ff. eod. l. penult. ff. de precar.*

Th. XV.

Th. XV.

Supra diximus, quod Salvus Conductus etiam detur ipsis, qui sunt in societate, qua occasione oritur quæstio, an sub ista societate etiam comprehendantur Judæi? Novimus enim a Canonibus nimiam familiaritatem & strictam conversationem cum Judæis esse prohibitam *c. sæpe 12. caus. 28. q. 1. c. nulli extr. de Judæis*, sed respondemus, quod quidem nimia familiaritas & conversatio cum Judæis sit interdicta, sed non societas & participatio, quia in humanis nobiscum participant, & habent ea, quæ sunt Civium Romanorum, modo in illa regione, ubi salvus conductus datus, Judæi tolerentur, *l. Judæi 8. & l. quicunque 10. C. de Judæis. Prosp. Farin. qu. Crim. 29. num. 47. & seqq. Boer. Decis. 179. num. 6. Hippol. de Marsil. Sing. 180. num. 4. & Sing. 540. n. 2. Menoch. dict. cas. 336. n. 4.*

Th. XVI.

A Judice igitur aliis, præsertim inculpatis & suspectis de delicto datur Salvus Conductus, & ejus cautio nuda & simplici promissione fit, ita ut excludantur fidejussores & pignora, ut & juramentorum præstationes *arg. l. sancimus 3. C. de V. S. Hering. de fidejuss. c. 18. num. 49.* ca-

 vet

vet enim Judex aliis, ne offensionem carceris, aut alterius injuriæ cogantur metuere in judicio & aliis locis, per quæ transeundum. Vbi tamen notandum, in Saxonia observari, ut ista cautio facilioris probationis ergo in scriptis fiat, & ad Acta redigatur *Hering. de fidejuss. cap. 18. num. 49. Coler. de Process. execut. p. 4. c. 1. n. 212. per art. 4. & 14. lib. 2.* Land-Recht. ubi uterque ita in praxi observari testatur.

Th. XVII.

Ita tamen concessio Salvi Conductus intelligenda est, ut securitatem promittat contra violentiam injustam *Mynf. cent. 1. observ. 82. Græven. Conclus. 52. consid. 1. num. 12. & seq. Georg.* Schönborner *lib. 5. Politic. c. 25. Bachov. in not. ad Treutl. vol. 1. Disput. 5. th. 6. verb. non concedendam aut concessam servandam*, quam significationem etiam ostendit formula vulgata: Wir geleiten dich zu recht/und vor unrechter Gewalt/ quo etiam tendit peinliche Hals-Gerichts-Ordnung art. 156. Und soll derselbe zum Rechten und für unrechter Gewalt/und nicht weiter vergleitet werden/ sic formulam pronunciandi refert *Zanger, de Except. p. 2. c. 5. num. 8.* hanc: Daß Angeklagter noch zur Zeit für

für ungehorsam nicht zu achten / Es wird ihm aber auf vorhergehende Caution, daß Er des Rechtens iederzeit auswarten / und dulten und leiden wolle / was ihm zu recht zuerkannt / seinen vel seiner Freunde / vel seiner angebohrner Vertretter und Defensorn Suchen nach / ein frey sicher Geleit zu recht und vor unrechter Gewalt / so lange bis etwas Peinliches wider ihn erkannt / billich mitgetheilet / und Er ist alsdenn auf alle und iede Gerichte persöhnlich zu erscheinen / auf die Klage sich einzulassen / und sonsten gebührlichen zu verfahren schuldig / und wird das Zetergeschrey noch zur Zeit eingestellet. V. R. W.

Th. XIIX.

Oritur hic prima quæstio, an, si citationi non sit expresse clausula inserta Salvi Conductus des freyen sichern Geleits / de crimine suspectus & citatus nihilominus sit tutus, & citatio promissionem securitatis tacite includat? Affirmativam tuentur multi Doctores, præsertim Saxonici, ut *Daniel Mollerus lib. 2. semest. cap. 2. num. 2. Petr. Heig. part. 2. qu. 12. n. 38. 39. Zang. de Except. p. 2. c. 5. num. 8. Petr. Prem. de secu-*

ſecurit. promiſſ. ad fin. allegantes hanc in rem commune dicterium: Die Citation träget ein ſicher Geleit auf dem Rücken mit ſich / quibus accedit ſummus JCtus & Practicorum Princeps *Carpzovius in Pract. Crim. Rerum part. 3. qu. 112. num. 18.* ubi ſententiam ſuam ita exponit: *Quicquid tamen ſit in aliis regionibus ac territoriis, in ditionibus certe Electorum ac Ducum Saxoniæ, citationem tribuere ſecuritatem citato tuto veniendi & recedendi, idque hactenus obſervatum fuiſſe teſtatur Dan. Moller. l. 2. ſem. cap. 2. num. 2.* Adducunt quoque *Carpz. & Mollerus* duo exempla, ubi Sereniſſimi Electores Saxoniæ D. Auguſtus & D. Chriſtianus I. citatos, qui copiam ſui fecerunt in judicio absque impetratione Salvi Conductus expreſſi, capere & in carcerem conjicere noluerunt. Vnde orta ſit ea opinio, quam Antonius Faber inter errores pragmaticorum referre potuiſſet, aliis examinandum relinquimus, forte in Saxonia ei occaſionem præbuere verba des Land-Rechts perperam intellecta, Ein ieglich Mann ſey auch Geleits frey / wo Er ſein Leib und Blut wagen will / *lib. 2. art. 27.* conf. *Coler. de proc. execut. part. 4. cap. 1. num. 236.* Sed in hoc loco

non

non agitur de citatione, per quam aliquis ſecuritatem veniendi & redeundi conſequi debeat, &, ſi verba illa prout jacent, generaliter accipere vellemus, ſtatuendum eſſet, quod omnis delinquens fiducia ſecuritatis poſſet manere, vel peregre profectus redire, ita ut etiam citra citationem eſſet tutus, nec in carcerem conjici poſſet; Latinus interpres ita vertit: *De jure etiam pretium ſolvere non tenetur a conductus comparatione, cui placet corpus & res committere periculo ſeu fortunæ.* Non jam multis diſquiremus, quis juris illius Saxonici ſenſus ſit, hoc certum manet, quod de noſtro caſu, ceu e contextu patet, plane non loquatur. Præter illum textum non apparet ratio, quid moverit JCtos quosdam Saxonicos, cur citationi tribuerint effectum ſecuritatis ſeu ſalvi conductus, niſi errorem eorum inde deducas, quod in illis locis, ubi pactis magiſtratuum vicinorum conventum eſt, ut per transmiſſam citationem ſubſidialem rogati magiſtratus extraneis ſiſtere ſubditos teneantur teſtes ad examen aut confrontationem, ſimul placuerit, teſtes illos evocatos ex alia cauſa civili vel criminali non detinere captivos, ſed illis ſecuritatem præſtare, & facultatem

 tuto

tuto veniendi & redeundi concedere; quo casu in citatione omnino tacite continetur promissio Salvi Conductus; id vero male applicatur ad nostram quæstionem, quando delinquens aut de crimine suspectus citatur a magistratu competente, ut se in judicio sistat & respondeat. Sicuti enim talis citra controversiam statim citatione reali seu apprehensione duci potest in carcerem, & in eo usque ad finem inquisitionis aut accusationis detineri, ita nulla subest causa, cur verbaliter citatus, si securitas ipsi non promittitur, post comparitionem non duci queat in carcerem. Quotidie observari videmus in foris, ut, si quis honoratior valde suspectus est de crimine capitali, & magistratus ope lictorum eum non vult palam per plateas in carcerem ducere, verbali & privata utatur citatione, ut statim veniat citatus in judicium; interim disponat in viis, per quas ille possit elabi, observatores, qui fugientem persequi, & detinere debeant; quis hic defendere sustinebit, quod talis citatus, si comparet in judicio, & diluere indicia graviora nequit, salva justitia incarcerari non possit? Dum magistratus parcit ejus honori, ne per ora vulgi eum manibus licto-

lictorum ducat, non facit injuriam, si mitiori ratione ipsum in carcerem compingat; nec incarceratio repugnat naturæ & fini citationis, qua id maxime intenditur, ut citatus veniat in judicium, & causam suam proponat; quod autem magistratus juri suo, vi cujus valde suspectum in carcerem conjicere valet, per citationem renunciet, non facile alicui per somnium veniet in mentem, nisi præconcepta laboret opinione, quod citatio tacite comprehendat promissionem Salvi Conductus. Si objicis, discrimen esse inter privatam & publicam (edictalem) citationem, ut in illa non contineatur talis promissio, bene autem in hac; Respondeo, monstres, quæso, rationem solidam hujus discriminis aut textum juris pro hoc militantem. Frustra quoque in foris obtineret, ut Salvus Conductus magnis sumtibus impetraretur, præstita scilicet cautione fidejussoria vel pignoratitia, si citatus ipso jure securitatem haberet; tamdiu enim latitare & in fuga persistere posset, donec ratione criminis capitalis edictaliter citaretur, & tunc securitatem citra cautionem nancisceretur. Carpzovius *d. l. n. 93.* tuetur sententiam, quod magistratus non tenea-

tur dare Salvum Conductum, ſi delinquens ſaltim ad valorem unius VVerigeldi velit cautionem præſtare, rationem hanc reddit: *talis fidejusſio* (tam parvi pretii, qualis eſt valor unius VVerigeldi) *patefacit evidenter feneſtras ad nequitiam, ita ut crimina maneant impunita contra l. ita vulneratus 51. ff. ad Leg. Aquil. Quis enim quæſo, non mallet incurrere tam exiguam pœnam pecuniariam, quam expectare vel torturam vel aliam pœnam corporalem arg. l. 10. §. 2. ff. de pœn.* Sed ratio hæc contra Carpzovium retorquetur; ſi enim ab abſente non facile accipienda eſt cautio parvi pretii pro conceſſione Salvi Conductus, multo minus ſtatuendum, quod abſens absque ulla cautione impetrare debeat Salvum Conductum ex vi ſolius citationis, cum hæc contra valde gravatum omitti non debeat. Patefacit ſententia Carpzovii & aſſeclarum de Salvo Conductu, in citatione tacite contento, vel maxime feneſtras ad nequitiam inquiſitorum aut accuſatorum, qui, ubi deprehendunt, deſperatam eſſe cauſam ſuam poſt examen & confrontationem inſtitutam, non ſine opprobrio & contemtu judicum aufugient, & ferme totum proceſſum reddent eluſorium.

ſorium. Contra, quando ſtatuitur, quod citatio ipſo jure non tribuat ſecuritatem, & inquiſitus aut accuſatus Salvum Conductum per cautionem magni valoris impetrare debeat, ad minimum iſte hanc luet pœnam ſuæ malitiæ, ut cautionem illam aufugiens perdat, & judex eam pro ſuo multo labore lucretur. Qui autem vana fiducia cauſæ fugam non arripit, & tamen poſtea contra illum fertur ſententia, ſentit meritam pœnam ſui delicti, & ſic non tam facile judicium redditur eluſorium. Objicis porro: non moror rationes contrarias, aut leges expreſſas, ſufficit probaſſe obſervantiam fori per Doctores Saxonicos, qui teſtantur, non tantum in Electoratu, ſed & aliis terris Saxonicis illam vigere. Reſpond. quid in Electoratu Saxoniæ valeat, aliis judicandum relinquimus (quamvis dubitemus, an teneatur judex valde ſuſpectum de delicto capitali, ſi citatus ſe ſiſtit, absque incarceratione dimittere, & an tale quid univerſaliter obſervetur, maxime ubi præceſſit ſaltim citatio privata) de aliis terris Ducum Saxoniæ res non adeo liquida eſt; audiamus celeberrimum noſtrum *Colerum de proc. exec. p. 4. cap. 1. num. 236. Quantumvis*

 vulgo

vulgo dicatur, quamlibet citationem, etiamsi non habeat annexam clausulam publicæ fidei & securitatis, ejus esse effectus, ut quasi in dorso secum ferat Salvum Conductum, tamen nemini autor esse velim, quod nudæ citationi isto casu fidat, cum fragilis sit ista spes, & sæpe fallat; & paulo post: *Ita, qui confidit nudæ jus dicentis citationi absque cautione Securitatis, expectet, quod carceretur & postea ex carcere respondeat allegando causas, ob quas sub fidejussoribus veniat relaxandus, aut aliter proponendo suas defensiones in causa principali. Mihi certe ante annos aliquot illa inconsulta comparitio Nobilis cujusdam, qui alium interfecerat etiam insultatus, post capturam demum adhibito in consilium, multum negotii facessit, priusquam eum ex carceribus liberavi sub præstatione fidejussorum.* Extra Saxoniam *Brunnem. in tract. de Process. Inquis. & Accusat: cap. VIII. membr. VI. num. 16.* testatur, *quod hæc sententia* (de tacita concessione Salvi Conductus sub citatione comprehensa) *fundamento destituatur, & possit comparens post audientiam detineri, nisi intelligamus Salvum Conductum contra solam violentiam partis læsæ.* Laudari meretur pie-

tas

tas Electorum Saxoniæ D. Augusti & D. Christiani I. quod fidem religiose observare studuerint; falso autem persuasi erant, fidem in citatione tacite fuisse interpositam.

Th. XIX.

Sequitur priorem quæstionem altera; quod, si Reo in citatione liber accessus ein freyer sicherer Zutritt/ fuerit concessus aut promissus, an ipse accessus etiam sit extendendus ad Recessum? Cum certum sit, quod multa in favorem Rei sint introducta, juraque pro ipsis militent, negandum non est, quod, ut Salvus Conductus in se liberum accessum, ita & liberum recessum (germanice sicher Geleit zu und abe/) contineat *Bart. ad l. ntimur 5. ff. de sepulch. viol. & ad l. relegatis 4. ff. de pœn. in fin. Matth. Stephan. de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 7. num. 400. Petr. Prem. de securit. promiss. qu. 6. Speckhan. cent. 1. qu. 1. num. 6. VVesenb. par. C. de satisdand. num. 4. & ad Schneid. J. eod. n. 5. Felin. ad cap. 2. de treuga & pace*; quia secure venire non dicitur, cui secure recedere non est permissum *Sichar. de auth: Habita num. 10. C. ne filius pro Patr. & ad l. un. C. de nundin. num. 2. Modest. Pistor. vol. 2. cons. 49. num. 55. Prosper. Farin.*

Farin. qu. crim. 29. num. 53. Coler. de processf. execut. p. 4. c. 1. num. 220. idque adeo certum dicit *Zangerus de Except. p. 2. cap. 5. num. 17. & seq.* ut verba illa ab und zu / quæ a nonnullis in formula pronuntiandi adjiciuntur, superflua reputentur; Et securitas veniendi includit securitatem recedèndi *Gail. lib. 1. obs. 52. num. 5.* imo supervacua esset securitatis petitio, si Reus liberum non haberet recessum, nam potuisset citatus absque illa in judicium venire; Et cum omnes res tendant ad suum effectum, securitas autem negato libero recessu suum effectum non sortiatur, de quo tamen inprimis Citatus solicitus fuit, omnino statuendum est, quod sub libero accessu contineatur etiam discessus.

Th. XX.

Adminiculatur assertioni nostræ, quod promissio securitatis aut concessio Salvi Conductus reputetur pro beneficio Reo concesso, benéficia autem quam plenissime interpretanda sunt, *l. 3. ff. de Constit. Princ.* & Salvus Conductus in dubio latissime & favorabiliter interpretandus est *Prosper. Farinac. qu. Crim. 29. n. 39. & 53. Decius Cons. 11. num. 2. in fin. vers. &*

quod

quod talis concesſio. & *num. 3. verſ. ex quibus datur intelligi*; quia facit ad meliorem facti cognitionem & indagationem, per quam in apricum profertur, utrum Reus, qui impetrato Salvo Conductu ſe ſiſtit, & examinatur, poſteaque cum teſtibus confrontatur, nocens ſit an innocens; hinc ſcribit *Modeſt. Piſtor. Conſ. 49. num. 56. Vol. 2.* ſemper aſſumendam eſſe eam interpretationem, per quam efficitur, ut ſecuritatis conceſſio non ſit inanis, ſed plus afferat commodi.

Th. XXI.

Datur Salvus Conductus; præcedente cauſæ cognitione in omnibus cauſis tam Civilibus quam Criminalibus. In Civilibus e. g. ſi Debitor metuit, ne a Judice inſtantibus Creditoribus in carcerem (in den Schuld-Thurm) conjiciatur. *Bachov. in not. ad Treutl. vol. 1. diſp. 5. th. 6. lit. d. verb. a Magiſtratu dari.* In Criminalibus vid. *Vmm. in proceſſ. diſp. 9. th. 2. num. 8. Coler. de proceſſ. Exec. p. 4. c. 1. num. 241. Græven. concl. 52. conſid. 1. n. 3. Hartm. Hartm. lib. 2. miſcell. obſerv. 22. n. 1. & 2.*

SECTIO TERTIA.

An Salvus Conductus a Concedente sit servandus?

§. XXII.

Circa hanc sectionem multi sunt qui negativam, plurimi vero qui affirmativam defendunt sententiam. Qui negativam tuentur, allegant (1.) text. in *Nov. 17. cap. 7. in princ.* & ibi hoc aperte notat *gloss. in verb. neque custodies*, *& l. 1. §. 2. ff. de dolo.* (2.) dicunt quod Reipublicæ intersit, ne delicta maneant impunita, si vero Salvus Conductus datus servetur, ansa certe præbeatur ad plus delinquendum, (3.) si pravi homines & delinquentes non cito e medio tolluntur, isti non tantum crescunt in malitia, sed alii etiam periculo objiciuntur. (4.) Quod homicidæ, si securitas promissa iterum cessat, in alio loco captivari & accusari possint, frustra autem fiat per plura, quod possit fieri per pauciora. (5.) Quod concessio Salvi Conductus tertio non debeat præjudicari, consequenter datus non servari, omnes enim concessiones ita interpretari debemus, ne vergant in præjudicium

dicium tertii *l. 2. §. merito & §. si quis Principe ff. ne quid in loc. publ.*

Th. XXIII.

Sed hæc allegata argumenta tantum ponderis neutiquam habent, ut affirmativam eamque veriorem & accuratiorem sententiam deprimant. Vult enim jus & æquitas, datum Salvum Conductum sancte esse servandum, ut data fides Hostibus *L. conventionum ff. de pact.* Etiamsi sint banniti *Alberic. de Rosate l. præsenti C. de his qui ad Eccles. confug.* quia securitatem habens nullo modo est inquietandus, molestandus, nec ullam debet experiri injuriam, læsionem, damnum aut periculum. Quod eo extenditur, etiamsi Salvus Conductus absque sufficienti causæ cognitione & non servato juris ordine sit datus, attamen hoc non obstante Citato & Reo sancte servandus est *Graven. conclus. 52. in Coroll. consid. 1. num. 9. Borcholt. p. 2. Consf. 18. vers. quin imo. Modest. Pistor. vol. 2. Consil. 49. num. 1. Pruckm. ad §. soluta potest. membr. 2. cap. 4. eff. 5. num. 28.* Ne scilicet quis maneat deceptus sub fide publica, prout hoc tradit *Petrus de Bella pertica, & Cyn. in l.*

præsenti C. de his qui ad Eccles. confug. Bart. in l. is qui reus num. 12. ff. de publ. judic. Et gravius est, aliquem sub fide publica decipere, quam fidem simpliciter fallere *Joan. Igneus n. 43. l. 43. §. si ex stipulatu ad SCt. Syll. l. Senatus Consulto in verbo ne Emtori injuriam fecisse videatur Senatus ff. eod. tit.* imo grave est, privatam simpliciter fidem fallere *l. 1. de constit. pec. Bart. & Alber. de Rosate in l. Conventionum ff. de pact.* & securitas a Principe aut alia persona publica Bannito data etiam extra territorium dantis sanctissime servanda. Spectat huc illud vulgatum, quod nemo contra promissionem suam facere debeat, quamvis de jure civili ad ejus observationem non sit obligatus, fides siquidem aut non danda aut data servanda est *l. 21. §. pen. ff. quod. met. caus. Treutler. vol. 1. Disput. 5. th. 6. lit. a. Georg* Schönborner *lib. 5. Politic. c. 25.* Hinc Cagnolus ad *l. 65. ff. de R. J. n. 21.* rectissime scripsit, quandoque contra hostes, inquit, licet uti dolo, solertia & machimatione, modo non frangatur fides data, cum laudabilius sit fidem excessu augere, quam violatione rumpere.

§. XXIV.

§. XXIV.

Et quis negat promissionem Salvi Conductus transire in speciem conventionis & pactionis? Nihil autem tam congruum est vitæ humanæ, quam ea quæ inter eos placuerunt servare, *l. 1. pr. ff. de pact. l. cum venderem 21. ff. locat. l. non minorem 20. C. de transact. l. jurisgentium 7. §. 7. ff. de pact. l. 4. §. 8. de manumiss.* adeo ut etiam ex eo Princeps firmiter obligetur *Coras. 2. miscell. cap. 25. num. 5. Bronch. cent. 1. ass. 11.* Recte inde quisquis sit dixit: Delinquenti securitatem mittere, ac deinde illum punire, proditionem sapere, nec ullum facile reperiri casum, quo Salvus Conductus promissus non sit a promissore servandus, sed potius firma manet regula: Fidem publicam datam omnibus, quantumvis reprobis & perversis servandam esse. *Bart. ad auth. 17. §. sed neque num. 2. Petrus Premus de securit. promiss. qu. 7. Hart. Hartm. lib. 2. obs. 12. n. 2.* Hoc tamen Delinquentibus ac Citatis semper pro regula esto, ut cautius agant, ac præter securitatem a Judice seu Citante datam, impetrent etiam Salvum Conductum ab eo, per cujus territorium ipsis transeundum est, tunc etiam magis

 tuti

tuti ac securi sunt. *Coler. de processʃ. exec. part. 4. c. 1. num. 213. & 216. Græven. concl. 52. in Coroll. consider. 1. num. 3.*

§. XXV.

Hæc quæ hucusque a nobis dicta sunt, etiam obtinent de jure Saxonico, ita ut promissio Salvi Conductus in hisce terris sancte sit habenda & illibata, quod satis confirmat Landr. lib. 2. art. 4. §. Kommen sie denn nicht / ubi dicitur: quod accusatus de homicidio, si petat defensionem suæ innocentiæ, impetrare debeat pacem: Man soll ihme Friede würcken: vel ut communis formula pacis sonat: Man soll ihme Geleit zu recht / und vor unrechter Gewalt geben: convenit cum hoc *art. 4. ejusd. libri ibique gloss. verbis:* Wer sich aus 2c. ubi legitur: Wer sich einer Bezüchtigung entreden will / den soll der Richter darzu vergleiten. *Coler. de process. Execut. part. 4. cap. 1. num. 225. Speckh. cent. 1. qu. 1. n. 4.* Peinliche Hals-Gerichts-Ordnung *Caroli V. art. 76. & 156.*

Th. XXVI.

Distingvunt Doctores communiter in hac juris materia, utrum generaliter, an speciali-

ter

ter concedatur Salvus Conductus; item utrum determinate, an indeterminate, & has distinctiones ita explicare solent, ut parum conveniant æquitati & rectæ rationi. Postquam enim ex *l. boves 89. §. hoc sermone 1. ff. de V. S.* quam *Tiraquellus* peculiari tractatu illustravit, in Tomo quarto ipsius operum extante, generalem extruxerunt regulam hanc: *Sermonem simpliciter prolatum de primo intelligi, id est, primo atque uno actu consumi, perfici, finiri, ita ut amplius locum non habeat*, quam statuerunt in omni dispositione & juris materia esse servandam *Francisc. Curt. Junior. cons. 132. Jason cons. 36. in causa mota columm. ult. versic. ista responsio*, hinc factum est, ut eandem ad nostram materiam de Salvo Conductu promiscue applicarent, & contenderent, Salvum Conductum simpliciter & generaliter datum delinquenti sic intelligi, ut hic solum prima vice in judicium venire & redire tuto possit, secunda vero vice veniens capi & incarcerari queat *Menoch. de A. I. C. cas. 336. num. 36. Speckhahn cent. 1. qu. 1. num. 16. Nellus in tractat. de Bannitis p. 3. secundi temporis qu. 17. num. 18.* &; *Farinacius qu. 29. n. 67.* magnum DD. numerum hanc in rem allegans;

id

id aliqui adeo extenderunt, ut (1.) licet Salvus Conductus fuerit concessus, ut durare debeat, donec impetrans causam vel innocentiam suam deduxerit, biß zu Außführung seiner Sache oder Unschuld/ censeatur tamen restringendus solum ad primum terminum, nec attendi debeat, quod delinquens securitatem generaliter & indeterminate a magistratu petierit, es bittet der Supplicant in gemein ein sicher Geleit zu Außführung seiner Unschuld/ & Magistratus ad illam petitionem responderit: Wir geben dir zu Außführung deiner Unschuld ein Geleite zu Rechte/ und vor unrechter Gewalt/ *Speckhahn dict. loc. num. 12.* (2.) quamvis in Salvo Conductu fuerit data facultas & potestas semper veniendi & redeundi, hæc tamen dictio, *semper*, non significet perpetuitatem ac continuitatem temporis, sed talem sensum habeat, quod alter semper, id est quolibet tempore, possit prima vice venire & redire; & si venerit secunda vice, salvo jure queat arrestari, & in carcere detineri, vide Doctores citatos a Farinacio *d. l. num. 68. 69.* Causas etiam, cur hanc assertionem adeo extenderunt, sequentes adferunt, quoniam judex, qui dedit Salvum Conductum, est

eſt optimus verborum ſuorum interpres, &, ubi tempus non eſt determinatum, id relictum cenſetur definitioni judicis juxta *l. 1. §. 2. de jur. delib.* deinde, cum cautio ſecuritatis concernat intereſſe partium, præcipue in criminalibus, non adeo præjudicare debet accuſatori, qui longius & diutius ab accuſato non eſt circumducendus. Ex quibus rationibus *Speckhahn. c. l. num. 13.* concludit, *recte igitur dicimus, Salvum Conductum in genere & indeterminate datum, citra præjudicium partis exaudiendum, & ita reſtringendum eſſe, ut primum ſolum terminum, & non etiam totam inſtantiam comprehendat.* Vnde non mirari debemus, quod, licet alias ſpecialia ſub generalibus contineantur *l. 147. de Regul. Jur.* nihilominus tamen juxta illam Doctorum opinionem ſpecialis Salvus Conductus latius patere & plus complecti debeat quam generalis; dicunt enim, ſi generalis datus eſt, quod poſſit impetrans ſolum quolibet die juridico comparere & inde recedere, non autem commorari extra diem juridicum in loco judicii, ni velit arre-

 ſtari

ſtari & in carcere detineri; cum in ſpeciali conſequatur Reus plenam ſecuritatem, ut per totum tempus litis durantis liceat ipſi in loco judicii apud ſuos commorari, & deliberare cum amicis & cognatis ſuis ſuper defenſione ſuæ innocentiæ *Carpz. Crim. qu. 112. num. 10. 11. 20. & ſeqq.*

Th. XXVII.

Enimvero non negamus quidem, quod in illis locis, ubi talis ſenſus vocum: generalis & ſpecialis Salvi Conductus, obſervantia fori eſt receptus, Reus impetrans generalem non plus poſſit prætendere, quam ex uſu fori continere dicitur, & contra, ſpecialem ſibi comparans tantam ſecuritatem conſequatur, quantam juxta Doctorum ſententiam ambitu ſuo complectitur (daß / wer ein general ſicher Geleit auswürcket / und darinne nicht deutlich enthalten iſt / wie weit es ſich erſtrecken ſoll / derſelbe nicht weiter die Verſicherung erhalte / als ſo viel daſſelbe nach der Beſchreibung der Rechts-Gelehrten in ſich begreiffet / hin-

gegen/

gegen / wenn einer ein special sicher Geleit erlanget / und gleichfals darinne nicht stehet / wie weit es sich erstrecken solle / der Inquisit oder Angeklagte alles dessen sich zu erfreuen habe / was sonst ein solches besonders Geleit mit sich bringen soll /) dubitamus tamen, an ubique & in omnibus foris talis sensus sit receptus. Quia enim hæc res legibus non est decisa & determinata, non tantum naturam vocum sequi, sed & quid ipsum negotium exigit pro ratione circumstantiarum, considerare debemus. Sic supra monitum fuit, quod data securitate veniendi censeatur simul promissa libertas secure redeundi, & quidem ut *Grotius de J. B. & P. lib. 3. cap. 21. §. 16.* dicit, *non ex vi verbi, sed* (ex negotii natura) *ut absurdum vitetur, neque enim inutile beneficium esse debet. Et abitus tutus intelligendus, usque dum* (promissarius) *eo pervenerit, ubi in tuto sit, unde Alexandri fides accusata, qui, quibus abitum indulserat, eos in ipso itinere jussit interfici.* Cui conceditur Salvus Conductus ad deducendam causam vel innocentiam suam, non

 tan-

tantum prima vice veniens ſecuritatem habeat, ſed & ſecunda, tertia vice, & tamdiu, donec plenius cauſam vel innocentiam ſuam pertractaverit. Si vero data opera cunctari & moram nectere vult, poteſt ipſi præfigi tempus, intra quod cauſam ſuam licet peragere. Nec enim bona fides permittit, ut eum, qui Salvo Conductu ſimpliciter impetrato, ſemel ad nos venit ad perluſtranda acta & parandam defenſionem, ſi redit ad ſuos, & iterum nos accedit, ut continuet & abſolvat defenſionis negotium, protinus in carcerem conjiciamus, cum magnus ſit favor defenſionis & probationis, nec tam anguſtis terminis circumſcribi debeat. Imo cui datur in genere ſecuritas (wenn man dem andern in ſeiner Sache ein ſicher Geleit insgemein verſpricht/) in dubio talis intelligitur data, quæ ſufficiat ad cauſam ſuam peragendam, non ut ſemel tantum ad nos venire queat. Subſcribimus igitur Grotii ſententiæ, dum loco citato §. 14. ait: *Jus commeandi extra inducias privilegium quoddam eſt. Quare in ejus interpretatione ſequenda*

da sunt, quæ de privilegiis traduntur. Est autem hoc privilegium neque tertio noxium, neque danti admodum grave; ideo intra verborum proprietatem laxa magis quam stricta interpretatio admittenda est, eoque magis, si non petenti datum beneficium, sed ultro oblatum sit, multoque magis, si ultra privatam publica quædam utilitas in negotio vertatur. Addo, maxime tunc pro conservanda securitate laxior interpretatio sumi debet, si titulo oneroso datis fidejussoribus vel pignoribus magni momenti fuerit impetratus Salvus Conductus. Aut enim deducit innocentiam aut non; illo casu meretur extra carcerem respondere & comparare media defensionis; hoc autem non impune dimittitur, quoniam, ubi aufugit ante publicationem sententiæ, prodit malam causam perditque cautionem fidejussoriam aut pignoratitiam, & in apricum producta ejus malitia fugientem literis (durch Steck-Briefe/) persequi possumus. Hoc medio melius nocentes manifestantur, & innocentes a suspicionibus liberantur. *Tiraquellus* in laudato tra-

ctatu tom. IV. operum fol. m. 197. limit. V. nostram propugnat sententiam his verbis: *Quando concessio fit pro certa & determinata causa, verbi gratia, concessa est simpliciter securitas eundi & redeundi pro pace tractanda, tunc non intelligitur pro prima vice tantum, sed & semper durante eo tractatu possit libere ire & redire*, ubi plures pro hac sententia citat Doctores. *Farinacius* quoque *quæst. 29. num. 70.* refutat illos, qui statuunt, licet in Salvo Conductu fuerit data facultas semper veniendi & redeundi, quod tamen hæc non alium sensum admittat, quam quod semper h. e. omni tempore habere debeat facultatem prima tantum vice tuto veniendi & redeundi, non autem secunda & ulteriori vice. Quid ad rationes in contrarium supra adductas sit respondendum, in discursu præbita occasione dicemus. In tanta Doctorum discrepantia Patroni causarum non sint securi, ut fidant saltem uni sententiæ, suadeant potius clientibus suis, ut curent inserendas expressas clausulas Salvo Conductui, quibus libertas judici adimitur,

imitur, amplectendi hanc vel contrariam Doctorum sententiam.

Th. XXIIX.

Salvus Conductus ad certum tempus restrictus, e. g. ad tres menses, exspirat lapso illo tempore, *Carpzov. Crimin. qu. 112. num. 59.* quod censetur esse continuum, & currere de momento in momentum Abb. Panormit. *in c. fin. in fine X. de Elect. glossa in Rubr. de divers. & temp. præscript. verb. sed hic notandum* Bartol. *in l. genere num. 3. de his, qui not. infam.* Paris. *consf. 37. num. 28. vol. 3.* Anton. Bardus *de temp. util. & contin. cap. 8. num. 1.* Matth. Col. *cap. 1. part. 4. num. 200.* Speckhahn. *cent. 1. qu. 1. num. 16.* pariter si conceditur Salvus Conductus, ut tutus solum sit reus die juridico, quo tractatur ejus causa, alio tempore non habebit securitatem. Quando præfectus a Principe constitutus vel vasallus feudo investitus vi jurisdictionis sibi concessæ dat Salvum Conductum, non tantum præfectus & vasallus in districtu sibi assignato, sed & Princeps per

totum

totum ſuum territorium præſtare debet reum ſecurum, quamvis in tali caſu conſultius ſit, ab ipſo Principe impetrare Salvum Conductum Coler. *de proc. execut. cap. 1. part. 4. num. 214.*

Th. XXIX.

Si Salvus Conductus non eſt reſtrictus ad certum tempus, ſed vel in genere dictum, quod reus debeat in hac cauſa habere plenam ſecuritatem, vel additum, quod Salvus Conductus durare debeat usque ad deductionem cauſæ (biß zu Außführung seiner Sache/) quando exſpirare intelligitur? In cauſa civili, cujus exemplum ſupra th. XXI. adduxi, cenſetur durare, donec ſententia definitiva in cauſa lata tranſierit in rem judicatam. In criminalibus autem & maxime capitalibus juſtitia judicis & conceſſio Salvi Conductus id potiſſimum ſpectat, ut factum cum omnibus circumſtantiis plenius examinetur, & in lucem proferatur, utrum reus ſit nocens aut innocens; hic igitur ſpectando rectam rationem & æquitatem tamdiu habebit

bit securitatem, donec sufficienter fuerit auditus, & postea judex perspecta defensione vel ipse, vel per extraneos JCtos pronuntiaverit, reum pro innocente non esse habendum, sed aut poenæ aut torturæ esse subjiciendum. Ideo Salvus Conductus in criminalibus plerumque reo concedi solet cum clausula: biß so lange etwas Peinliches wider ihn erkannt / Carpzov. *Crim. qu. 112. num. 62.* ubi quæritur, annon etiam in tali casu expectari debeat, donec sententia transierit in rem judicatam? Distinguit Carpzov. *d. l. num. 66. & 68.* inter processum accusatorium & inquisitorium, ut in illo expectari debeat lapsus decendii, in hoc autem Judex statim atque tenorem sententiæ criminalis cognovit, possit incarcerare reum; Sed in processu etiam accusatorio non fiet reo injuria, (quando sub formula consueta impetravit Salvum Conductum: biß etwas Peinliches wider ihn erkannt/) si judex cognito sententiæ tenore ipsum protinus in carcerem conjiciat, cum eousque saltem videatur securitas promissa. Et licet ad-

 huc

huc audiri debeat, secundam aut tertiam defensionem urgendo, antequam torturæ aut poenæ subdatur, quia tamen Salvus Conductus ei solum datus est, biß etwas Peinliches wider ihn erkannt / & jam sententia criminale quid decernens adest, exspirat Salvus Conductus, & posthac in carcere reus se defendere tenetur. Si sub conditione promissa est securitas, tamdiu durabit hæc, donec contravenerit isti e. g. si nihil novi deliquerit impetrans; Quare videmus, hancce clausulam communiter esse literis assecurationis insertam: Wir geben dir Geleit zu recht und vor unrechter Gewalt / doch also / daß du dich hinwieder auch gleitlich verhaltest. Greven. *concl. 52. consider. 1. num. 6.* Speckhahn. *cent. 1. quæst. 1. num. 17.* si enim concedens sive Princeps sive Respublica sive Judex inferior per nova delicta offenditur, licite Salvus Conductus tollitur, frangenti enim fidem, fides frangatur eidem *l. cum proponas 21. C. de pact. L. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de act. emt. l. qui fidem 36. ff. de transact.* frustra enim fidem sibi servari postulat,

qui

qui ipſe fidem ſervare recuſat *c. fruſtra 75. de R. J. in 6.* Petr. Prem. *de ſecurit. promiſſ. qu. 7.* Damhoud. *in pr. crim. cap. 26. num. 7.*

SECTIO QVARTA.

An Violantes Salvum Conductum poena quadam affici & quanam poſſint?

Th. XXX.

Cum verum ſit juxta præcedentia, quod Salvus Conductus datus ab omnibus ſancte & illibate ſit ſervandus, neutiquam hic erit dubitandum, quin transgreſſores & violatores certam & juſtam incurrant poenam. De genere poenæ & an hic ordinaria an extraordinaria habeat locum, Doctores non unam fovent opinionem: Quidam enim violantes ſecuritatem ſimpliciter Majeſtatis reos exiſtimant, inter quos numerantur Boer. *Dec. 179. num. 2.* Val. Forſter. *de ſucceſſ.*

ceff. ab inteft. lib. 4. cap. 23. num. 23. Matth. Stephan. *de jurisdict. lib. 2. cap. 1. membr. 2. num. 160.* & hinc effet poena capitalis: Alii ftatuunt, quod hic in violatores poena arbitraria obtineat, & ad tuendam fententiam allegant *l. 1. ff. de effract. & expilat. l. hodie 13. ff. de poen.* Guido Papæ *decif. 418. num. 1. Guil. de Cuneo de fecur. num. 33. Menoch. arb. jud. qq. caf. 336. num. 3.* & Petr. Prem. *de fecur. promiff. quæft. 7.* cui fententiæ & nos fubfcribimus. De jure Saxonico Judices fub poena privationis jurisdictionis & refufione damnorum obftricti funt Salvum Conductum fervare Coler. *part. 1. decif. 108. num. 74. per gloff. fin.* Land-Recht. *lib. 2. art. 13. & gloff. fin.* Weichbild *art. 28. & art. 11. in gloff.* Quamvis neutiquam fit negandum, de veteri jure Saxonico violatores Salvi Conductus morte punitos fuiffe Land-Recht. *lib. 2. art. 13.* §. Die einen Mann fchlagen/ in verbis die den Frieden brechen / den foll man das Haupt abfchlagen / fed cum hoc nimis rigorofum multis videretur, Practici cum Colero *de*

pro-

processf. execut. part. 4. cap. 1. num. 230. Speckhahn. *art. 1. quæst. 2. in fin.* Arumæo *discurs. ad aur. bull. 1. th. 18. in fin.* mitiorem sententiam sunt amplexi, ut arbitrariam poenam pro ratione circumstantiarum censerent esse sumendam.

Th. XXXI.

Vnicum adhuc coronidis loco liceat addere: Vtrum fidejussores, qui cautionem præstiterunt de judicio sisti, liberentur, quando reum post sententiam, criminale quid decernentem, magistratui sistunt, & iste aufugit e carcere? an denuo & tamdiu sistere teneantur, donec sententia executioni fuerit mandata? Prius affirmat Carpzov. *in Prax. Crimin. qu. 112. num. 142.* posterius Daniel Moller *semest. lib. 2. cap. 2. §. 1.* sed distinguendum, utrum præstita solum fuerit cautio de judicio sisti, an simul quoque judicatum solvi; illo casu videntur liberari fidejussores, si semel sistunt reum carceri *arg. l. 89. §. 1. de V. S.* maxime

tunc,

tunc, si per fidejussionem suam impetrarunt, ut e carcere reus dimitteretur; dum enim post sententiam criminale quid decernentem effecerunt, ut reus in priorem statum h. e. carcerem reduceretur, censentur suæ promissioni satisfecisse, hoc autem casu non prius liberantur, quam sententia executioni fuerit mandata.

SOLI DEO GLORIA.

